

nec frugem segetes praebent neque pabula terrae:  
non illic colit arva deus, Bacchusve Ceresve,  
nulla nec exustas habitant animalia partes.  
fertilis hanc inter posita est interque rigentes  
nostraque et huic adversa solo pars altera nostro,  
quas similes utrimque tenens vicinia caeli  
temperat, alter et alterius vires necat aer:  
hinc placidus nobis per tempora vertitur annus,  
hinc et colla iugo didicit submittere taurus  
et lenta excelsos vitis conscendere ramos,  
tondeturque seges maturos annua partus,  
et ferro tellus, pontus confunditur aere,  
quin etiam structis exsurgunt oppida muris.  
ergo ubi per claros ierint tua facta triumphos,  
solus utroque idem diceris magnus in orbe.

non ego sum satis ad tantae praeconia laudis,  
ipse mihi non si praescribat carmina Phoebus.  
est tibi, qui possit magnis se accingere rebus,  
Valgius: aeterno propior non alter Homero.  
languida non noster peragit labor otia, quamvis  
Fortuna, ut mos est illi, me adversa fatiget.  
nam mihi, cum magnis opibus domus alta niteret,  
cui fuerant flavi ditantes ordine sulci  
horrea fecundas ad deficientia messis,  
cuique pecus denso pascebant agmine colles,  
et domino satis et nimium furique lupoque,  
nunc desiderium superest: nam cura novatur,  
cum memor ante actos semper dolor admonet annos.  
sed licet asperiora cadant spolierque relictis,  
non te deficient nostrae memorare Camenae.  
nec solum tibi Pierii tribuentur honores:  
pro te vel rapidas ausim maris ire per undas,  
adversis hiberna licet tumeant freta ventis,  
pro te vel densis solus subsistere turmis